



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris  
Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. 1. De perfectione ad quam Religiosus status ex natura sua tendit

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

# TRACTATVS II.

De Statu Religioso.

## TITVLVS PRIMVS.

*De Natura et perfectione Sta-  
tus Religiosi.*

## ARTICULUS PRIMUS.

*De perfectione ad quam Religiosus  
Status ex natura sua tendit.*

I.

**R**eligio est Status quorundam Christianorum, ad evangelicam perfectionem tendentium, per tria vota, Paupertatis, Obedientiae & Castitatis, perfecta sui traditione, & legitima acceptatione firmata, & sub modo vivendi, ab Ecclesia approbato. Dicitur (*status*) ob immobilitatem propositivoto perpetuo firmati. Dicitur (*ad perfectio-  
nem Evangelicam tendentium*) propter Evangelica consilia, quæ etsi à Christo sint omnibus proposita, non tamen ab omnibus & singulis observanda: dicente Chri-

L 2

sto

stode castitate : Non omnes capiunt verbum hoc , sed qui potest capere capiat : Unde non tanquam præcepta : sed tanquam consilia & media perfectionis sunt proposita, opportuna tendentibus ad perfectionem. Aliud etiam dicit Evangelica vita, & aliud Evangelica perfectio : Evangelica enim vita dicitur : quæ amplectitur præcepta in Evangelio contenta, & prescriptiones universales, omnibus Christum sequentibus in Evangelio communiter datas. Evangelica autem perfectio dicitur, quæ se extendit etiam ad ea quæ sunt consilij tantum. Dicitur (*per tria vota*) his enim tribus votis distinguuntur Religiosi à cæteris Christianis : etsi enim cæteris Christianis isti sub consilio proponantur ad perfectioni exercitium : Religiosi illa sibi vendicant sub voto, seq; illis ita astringunt, ut ab eorum observantia, absque peccato Apostoli recedere nequeant. Dicitur (*perfecti traditione & legitima acceptione firmata*) ad distinguendum statum Religiosi, & vota , à particulari singularium personarum devotione, hæ enim personæ no-

se perfecte tradunt, nec vota acceptatione legitima confirmantur.

2. Perfectio hominis viatoris in ordine ad finem ultimum consistit in charitate, ita ut juxta progressum in gradibus charitatis, homo censeatur magis aut minus perfectus: unde & charitas in scripturis ponitur velut principium, medium, finis, ac velut scopus totius vitae hominis ad ultimum finem tendentis: ad Ephes. i. v. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in Charitate.* Et cap. 3. *in charitate radicati & fundati, &c.* Est itaque charitas, fundamentum, incrementum, ædificatio, & complementum totius hominis Christiani. Ut patet ad Coloss. 3. *Super omnia autem hæc charitatem habete quæ est vinculum perfectionis.*

3. Juxta diversos respectus diversi modi reperiuntur in perfectione intra habitudinem Charitatis; juxta quos quinque perfectionis genera referuntur, cum quinque diversis obligationibus, à S. Bonav. in 3. Dist. 30. q. 3. Prima (inquit) est: perfectio

L 3 suffi-

sufficientia, quæ consistit in adimpleione  
præceptorum, de hac Matth. 5. v. 48. *Estote  
perfecti sicut & pater uester cœlestis perfectus  
est:* 2. *Est perfectio Religionis: quæ con-  
sistit in observantia Consiliorum,* de hac  
Matth. 19. *Si vis perfectus esse vade & ven-  
de omnia quæ habes.* 3. *Est perfectio præla-  
tionis quæ consistit in Regimine subdito-  
rum.* 4. *Est perfectio operationis: quæ cō-  
sistit in ostensione exemplorum.* 5. *Est per-  
fectio tranquillitatis, quæ consistit in con-  
sumatione difficillimorum & optimorum.*

4. *Perfectio ad quam Religiosus status  
ex natura sua tendit est sincerus Dei A-  
mor super omnia, quatenus via mandato-  
rum Dei, & consiliorum Evangelicorum,  
voto & observatione acquiritur, ita S. Tho-  
mas opus: 18 & sequentibus & Doctores  
sancti communiter.*

## Articulus Secundus.

*An perfectio ad quam Religiosi tendunt,  
sit major, ea ad quam cœteri Christiani  
tendere debent.*

1. **P**otest quidem interdum aliquis Chri-  
stianus in sæculo remanens, ad perfe-